ium, ſed ex Græcia atque orbe toto concurſus fiebat literatorum hominum: venit inter multos Græculus Poëta pauper, qui nihil præter Muſas & calamum haberet, is in conſuetudinem adduxerat, Principem à palatio deſcendentem, præoccupare oblato carmine aliquo, ipſius gratiam continente, quod cum non intelligente vel diſſimulante eo, ne quicquam ſæpius expertus foret, nec adhuc ceſſaturus videretur, ſcripſit Auguſtus manu propria breue carmen Græcum, quod illi ad ſe de more properanti præmiſit, carmine carmen penſaturus: Ille cum veneratione ſuſceptum, cum admiratione perlegit: Poſtquam ſatis & geſtu & verbis dictantis ingenium collaudaſſe viſus eſt, accedens propius ex macri crumena paucos excuſſit nummulos, porrexitque Principi munuſculum Græco ſermone proſecutus: cuius hæc fuit ſententia: Non ſecundum factum tuum Auguſte, ſi plus haberem, darem plus, cunctis qui aderant in lætitiam verſis: ex illius actu quid agendum ſibi foret admonitus Cæſar, accerſito diſpenſatore, diſerti homunculi conſuluit paupertati,